

LITURGIA HORARUM

Officia propria
Archidioecesis
Coloniensis

I

TEMPUS ADVENTUS
TEMPUS NATIVITATIS

LITURGIA HORARUM

Officia propria
Archidioecesis
Coloniensis

I

TEMPUS ADVENTUS
TEMPUS NATIVITATIS

APPROBATUM IMPRIMATUR

Köln, den 15. August 2002

† JOACHIM KARDINAL MEISNER
Erzbischof von Köln

CONFIRMATUM

11. November 2002 · Prot. n. 2282/99/L

Rom – Vatikanstadt

† Franciscus Kardinal Arinze
Präfekt der Kongregation für den Gottesdienst

† Franciscus Pius Tamburrino
Erzbischof
Sekretär

Herausgegeben vom Erzbistum Köln
Druck: J. P. Bachem, Köln
3-7616-1713-5

CALENDARIUM
PROPRIUM ARCHIDIOECESIS COLONIENSIS

DECEMBER

- | | | |
|----|--|--------------------|
| 4 | B. Adolphi Kolping, presbyteri | Memoria |
| 5 | S. Annonis, episcopi | Memoria |
| | PATRONUS PRINCIPALIS CIVITATIS | |
| | SIGEBERGENSIS In civitate Sigebergensi: Sollemnitas | |
| 8 | IN CONCEPTIONE IMMACULATA B. MARIAE V. | |
| | PATRONA PRIMARIA ARCHIDIOECESIS | Sollemnitas |
| 14 | B. Franciscae Schervier, virginis | |

Die 4 decembris
B. ADOLPHI KOLPING, PRESBYTERI
Memoria

Adolphus Kolping filius opilionis die 8 decembris anno 1813 in Kerpen prope Coloniam sito natus est. Post ludum loci artem sutrinam didicit. Hac arte non contentus et consilio sacerdotii petendi captus ab anno 1837 in „Marzellen-Gymnasium“ Coloniae studia humaniora absolvit. Studiis philosophiae et theologiae Monaci, Bonnae, Coloniae peractis, die 13 aprilis anno 1845 Coloniae in ecclesia quondam Minoritarum presbyter ordinatus est. Vicarius cooperator in Wuppertal-Elberfeld (1845–1849), civitate industriis quaestuosis affluent, miserias extremas operariorum expertus est. Iuvenum consociatione, quae a Ioanne Gregorio Breuer magistro condita erat, incitatus Kolping vocationem propriam repperit, ut operarios et artis opifices iuvenes in necessitatibus socialibus adiuvaret eosque in ecclesiam integraret. Vicarius Ecclesiae Metropolitanae Coloniensis factus, anno 1849 „Societatem Catholicam Opificum“ fundavit, e qua „Opus Internationale Kolping“ ortum est. Adolphus Kolping die 4 decembris anno 1865 mortuus est. Sepulchrum eius in ecclesia Minoritarum, cuius rector ab anno 1862 fuerat, mox post mortem eius veneratum est.

De Communi pastorum, Vol. I, 1001.

Ad officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex homilia beati Adolphi Kolping, presbyteri
(Adolph-Kolping-Schriften. Kölner Ausgabe Bd. 3,
1985, 128 f)

Tempus est agendi et movendi

Hómines non tam mali sunt, quam saepe habéntur. Manu vere christiána eos apprehéndite, et cito errórem vestrum perspiciétis. Quod non raro in vita reppérimus et omni die íterum reperímus. Et dum aliórum hóminum fides in homines tabescere vidétur, nos eam créscere vidémus – Deo gratias! Ecce, crédimus in homines, crédimus praesértim in iúvenes operántes, étsi vítia habent, étsi pér-

diti sunt, étsi móribus sáeculi nostri corrumpúntur. Et quia in eos crédimus, non fatigámur operántes pro eis.

Ínsuper in maióres res quam hómines crédimus: crédimus et in Deum. Et cum in eum credámus, cum rem Chris-tiánam tamquam vitam activam, tamquam efficacitátem ad salútem cognoscámus, ídeo non in nosmetípsos confí-dimus, sed in virtútem victrícem fídei Christiánae, et illi virtúti Dei cágimur ministráre. Quod res multae nostra aetáte in detérius convertúntur, quod vita sociális con-frácta et discíssa est, nos, qui vere in rem Christiánam cré-dimus, eam traderémus, nisi hoc ipso témpore ómnibus víribus – própriis aliásque in eandem finem operántibus – res in melióra converterémus et servarémus, quae servári possunt. Nunc non habemus tempus otiándi, spectándi, nihil curándi, cum fletu et luctu queréndi! Tempus est agéndi et movéndi, unicuíque ad mensúram vírium eíus. Non necésse est ómnia posse, sed áliquid boni et fructuósi. Nisi potes ágere solus, póteris una cum áliis. Hic non vere Christiánus est, qui recédit ab actiónibus commúnibus, non vere Christiánus, qui non libénter rebus commúnibus ínterest et sérviens agit.

Qui in Deum credunt, et in hómines crédere debent; et qui in rem Christiánam vívide credunt, spíritu éius ágere debent.

REPOSORIUM

Ps 111,5.6

R. Iucúndus homo, qui miserétur et cómodat. * Dispónet res suas in iudício.

V. Quia in aetérnum non commovébitur; in memória aetérna erit iústus. * Dispónet.

Oratio

Deus Pater miséricors, qui beátum Adólphum Kolping de arte sutrína ad sacerdótium vocásti, ut per eum iúvenes e misériis spirituálibus et sociálibus eríperes, da nobis, quáesumus, eius intercessióne, ut res advérsas téporum nostrorum cognoscámus et fratrum necessitatibus, te adiuvánte, subvenire possímus. Per Dóminum.

Die 5 decembris
S. ANNONIS, EPISCOPI

Memoria

PATRONUS PRINCIPALIS CIVITATIS
SIGEBERGENSIS
In civitate Sigebergensi sollemnitas

Anno circiter annum 1010 in Suevia natus, studiis in schola ecclesiae cathedralis Bambergensis peractis, anno fere 1054 praepositus monasterii in Goslar electus est. Anno 1056 archiepiscopus Coloniensis nominatus, territorium saeculare archiepiscopale ampliavit et aedificando arces monasteriaque tutatus est. Ab anno 1062 administratione regni functus est pro Henrico IV rege infante. Coloniae collegia clericorum S. Georgii et S. Mariae ad Gradus atque abbatias Sigebergensem, Grafscraftensem et Salfeldensem fundavit. Beneficentia in pauperes indefesseum se praebuit. Mortuus anno 1075 die 4 decembris, in abbatia Sigebergensi sepultus est. Reliquiae eius, in tumba saeculo duodecimo facta conditae, in ecclesia abbatiali Sigebergensi coluntur.

Commune pastorum, Vol. I., 1101.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Tractatibus sancti Augustíni epíscopi in Ioánnis Evangélium

(XXXIV, 10: PL 35, 1656–1657)

Vita nostra luctamen est

Cum perambulavérimus viam, et ad ipsam pátriam venérimus, quid erit nobis láetius? quid erit nobis beátius? Quia nihil pacátius: nihil enim advérsus hóminem rebel-lábit. Nunc ergo, fratres, diffícile sine rixa sumus. Ad concordiam quidem vocáti sumus, iubémur pacem habére inter nos; ad hoc conándum est, omnibúsque niténdum víribus, ut aliquándo veniámus ad perfectíssiam pacem:

modo autem litigámus plerúmque cum eis quibus consúlere vólumus. Ille errat, tu vis dúcere ad viam; resístit tibi, lítigas. Córripis étiam interiórem fratrem tuum: tecum manet in domo, et pérditas vias quaerit; áestuas quómodo córrigas, ut de illo bonam ratiónen Dómino ambórum reddas. Quantae úndique rixárum necessitátes!

Plerúmque homo táedio afféctus, dicit apud semetípsum: Quid mihi est pati contradictóres, pati eos qui red-dunt mala pro bonis? Ego volo consúlere, illi volunt períre: consúmo vitam meam litigándo; pacem non hábeo: inimícos ínsuper fácio, quos amícos habére debérem, si benevoléntiam consuléntis atténderent: quid mihi est ista pérpeti? Rédeam ad me, mecum ero, Deum meum invocábo.

Redi ad teípsum, ibi invénis rixam: si coepísti Deum sequi, ibi invénis rixam. Quam rixam, inquis invénio? *Caro concupíscit advérsus spíritum, et spíritus avdérsus carnem.* Ecce tu ipse es, ecce tu solus es, ecce tecum es, ecce álium nullum hóminem páterias: sed vides áliam legem in membris tuis, repugnántem legi mentis tuae, et captivántem te in lege peccáti, quae est in membris tuis. Excláma ergo, et a rixa interióre clama ad Deum, ut tibi pacíficet te: *Miser ego homo, quis me liberábit de corpore mortis huius? Grátia Dei per Iesum Christum Dóminum nostrum.* Quia qui me, inquit, séquitur, non ambulábit in ténebris, sed habébit lumen vitae. Finíta tota rixa, immortálitas consequétur, quia novíssima inimíca destruétur mors. Et qualis pax erit? *Opórtet corruptíbile hoc indíere incorruptionem, et mortále hoc indíere immortalitátem.* Quo ut veniámus, quia tunc erit in re, nunc sequámur in spe eum qui dixit: *Ego sum lux mundi.*

RESPONSORIUM

Cf. Rom 8,9; 7,25

R. Vos in carne non estis, sed in spíritu * Si tamen Spíritus Dei hábitat in vobis.

V. Grátia Dei per Iesum Christum Dóminum nostrum.

* Si tamen.

In civitate Sigebergensi: HYMNUS Te Deum, 526.

Oratio

Deus, cuius sánctitas actíone et contemplatióne quáeritur et invenítur, da nobis, intercessióne beáti Annónis epíscopi, qui et rebus públicis consúluit, et domos vitae religíosae fundávit; ut, humáno géneri sédulo inserviéntes atque in oratióne perpétua manéntes, tecum coniungámur. Per Dóminum.

Die 8 decembris
 IN CONCEPTIONE IMMACULATA
 BEATAE MARIAE VIRGINIS
 PATRONA PRIMARIA ARCHIDIOECESIS
Sollemnitas

Inde a saeculo XIV festum hoc pars calendariorum Coloniensium est; anno 1662 patrocinium archidioecesis nuncupatur. Archiepiscopus Ioannes Cardinalis de Geissel anno 1885 hanc sollemnitatem tamquam perantiquum patrocinium archidioecesis commemorat.

Omnia ut in sollemnitate, Vol. I., 934.

Die 14 decembris
 B. FRANCISCAE SCHERVIER, VIRGINIS

Nato anno 1819 Aquisgrani, pernovid angustias sui temporis. Consociationi feminarum ad exercenda opera caritatis se aggregavit anno 1840. Paulo post fundamenta iecit congregatiónis „Sororum pauperum a S. Francisco“ nuncupatae, quam archiepiscopus Coloniensis confirmavit anno 1851. Francisca ipsa multas domos suae congregatiónis fundavit. Vitam totam pauperibus et afflictis dedicavit. Obiit anno 1876 die 14 decembris et sepulta est in domo matrice Aquisgrani.

De Communi virginum, Vol. I, 1140, vel sanctarum mulierum (pro iis qui opera misericordiale exercuerunt), 1208.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Homilía Pauli papae Sexti in celebratióne Beatificatiónis (1974)

(AAS 66, 1974, 271–272)

Caritas in virtute paupertatis

Alios ex sanctis admirándos pótius quam imitándos putémus, beátam autem Francíscam lumen atque exéplum habémus sanctitátis Franciscánae ad imitationem aptíssimum.

Si sanctitátem nihil áliud fácimus nisi vitam actam secúndum voluntátem Dei, beáta Francísca a prima aetáte incessábili stúdio intendébat, ut secúndum Dei voluntátem vitam dégeret. Quod stúdium ánxiū nonnúmquam iudicámus, sed et constans semper atque fide signátum. Quo stúdio significári virtútem própriam sanctitatis eius affirmávit unus ex iis, qui de vita et móribus Francíscae narravérunt.

Quod eam vidémus vocátam ad vitam Franciscánam et vidémus hanc vitam ea fide atque ea perseverántia agéntem, qua praéditum saepe scimus esse ánimum Germanórum, – nonne ex hac vocatióne dénuo intellégimus ratam semper atque probátam nec non accomodándam esse illam evangélicaे vitae formam, immo sua ipsa suavitáte alliciéntem, quam coniúnctam atque unificátam sentímus cum sancto Assisiénsi? Nonne ex eádem vocatióne díscimus: hanc vitae Franciscánae formam, quae in se ipsa fere repúgnans sed fide Christiána postuláta praecípue vidétur, íterum atque dénuo agi posse ab animábus vere Chris-tiánis?

Hac ígitur ratióne de paupertáte illa loquámur, in qua versabátur omni vitae témpore beáta Francísca, ut augéret

sacrificium caritatis suae simulque praebéret testimónium vitae evangélica maius atque acceptabílius! Nonne hanc paupertátem putámus admonitionem atque exémplum rédditum pro nobis in fide cathólica vivéntibus et imprímis pro societáte nostra, in qua possidére et bonis mundánis frui vel máxima faciúntur?

Nonne et nobis, qui hanc diem in honórem huius „matris páuperum” in Ecclésia celebrámus, exéplum eius vitae cordi erit, per quam invitábimur et evocábimur ad amándos páuperes in virtúte et amóris et mandáti Iesu Christi?

Cum beátam Francíscam – id, quod ante eam fecérunt multi – propugnavísse pro paupéribus vidémus in conspéctu et Ecclésiae et ómnium hóminum nostraræ aetatis, nonne evocámur atque monémur, ut in fide confessioné que Christiána inníxi senténtias atque edictum concipiámus ad fratres páuperes vel míseros iuvándos? Et habémus multos; sicut dixit Iesus apud Ioánnem: Páuperes enim semper habétis vobíscum.

Haec nos dóceat, ad hoc opus nos iuvet beáta Francísca Schervíer!

RESPONSORIUM

Mt 25, 35.40

R. Esurívi, et dedístis mihi manducáre; sitívi, et dedístis mihi bíbere; hospes eram, et collegístis me: * Amen dico vobis: Quámdiu fecístis uni ex his frátribus meis mínimis, mihi fecístis.

V. Fenerátur Dómino, qui misértur páuperi. * Amen.

Oratio

Deus, qui beátam Maríam Francíscam vírginem charísmate caritatis in paupéribus et infírmis adiuvándis mirabíliter donásti; fac nos, quáesumus, eius exémplo: spíritu paupertatis sapiénter vívere et omni sollicitúdine tibi in frátribus servíre. Per Dóminum.